



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

In prima Missa Sacerdotis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

In Prima Missa Sacerdotis.

SIDEUS alicui optionem offerret, ut fieret, vel Angelus, vel Sacerdos: quid illi suaderetis? non dubito, quòd plurimi suaderent ut eligeret naturam Angelicam. Sicut enim melius est esse hominem quàm bovem, ita melius est esse Angelum quàm hominem; Sacerdos verò non desinit esse homo. Quid ego in hac re sentiam, explicabo.

Angelus non habet aliam Patrem quàm DEUM, quia quæ sunt immortalia non generantur, generatio enim est instituta ad reparandum quod mortuum est, ideò in cœlo & inferno, & post diem iudicii quando iam cùm corporibus erunt animæ, *Non nubent neque nubentur*, neque majus desiderium erit prolis quàm in lapide. Sacerdos etiam à solo DEO est. Orta fuit contentio num. 17, quis deberet fieri Sacerdos. Constitutum est. Deponantur virgæ ab arboribus recisæ, cujus floruerit, ille sit Sacerdos. Cur recisæ? quia virga arida recisa non floret nisi id DEUS ipse in illa faciat, procul est ab arbore, à terra, humore: ita Sacerdos. Deut. 18. *Non habebunt suam hereditatem.* 2. Tim. 2. *Nemo militans DEO implicat se negotiis secularibus.* Dan. 3. *Benedicite Sacerdotes Domini Domino.* Non sine mysterio dicuntur *Domini*, quia non nepotum, non affinium, non negotiorum sæculi. Heb. 7. *Melchisedech Sacerdos sine Patre, sine Matre, sine genealogia.* Quomodo id? Solus Adam sine Patre &c. certè non creatus à DEO Melchisedech; imò Ambr. Anselm. & Epiph. hæres. 51. Patrem ejus dicunt fuisse Heraclem, Matrem Asteriam. Habuit ille Patrem ut homo, sed non ut Sacerdos. Recordamini quòd Christus Matri suæ dixerit in Cana Galilæa & Cruce, non vocavit Matrem sed Mulierem, absit dicere, quòd filialis observantia defuerit. Sed quid? Iren lib. 3. c. 18. Quia in

Cana & Cruce gerebat personam Sacerdotis non appellat matrem sed vulgari voce utitur Mulier. Jam tuus Pater & Mater o Sacerdos est DEUS; illius es. Dominus pars hereditatis tuae, jam cum Abraham, egressus es de terra & cognatione tua. Jam es factus Angelus, & ut Angelus vivere debes. Angelus semper in conspectu DEI dignè versatur, & hoc tibi incumbit. Angelus est immortalis, & tuus character Sacerdotalis nunquam morietur, Angelus non infirmatur & tu licet ut homo sis ægritudini subiectus, nunquam tamen in tuo Sacerdotio morbus appareat, hoc indicatum est Levit. 21. Omnis qui habuerit maculam, non accedat offerre hostiam. Ideò ut observat S. Aug. quæst. 82. in Levit. Summus in lege Sacerdos nunquam infirmabatur. Angeli sunt hominum custodes, & Sacerdos Pastor. Angeli preces nostras DEO offerunt & tuas addunt, hoc idem præstat Sacerdos. De Sacerdote dicitur Malach. 7. Angelus Domini exercituum est. Apoc. 1. Sacerdotes vocantur Angeli Ecclesiarum. Cyrill. Alex in Levit. 6. in Angelorum ordinem transeat & jam non erit homo. Prævaleat in illo spiritus & opera spiritus, ut vocari possit spiritus, est habeat corpus; sicut vocatur vinum etsi in illo sit gutta aquæ quia multò plus est vini. Ideò cum nos in Missa salutat dicendo, Dominus vobiscum Spiritum illum appellamus, respondendo, Et cum spiritu tuo. Damian. Quia totus debet à spiritu denominari. Jam ergo est Angelo æqualis.

Sed nemo dicit quòd B. Virgo non sit major Angelis, quia cum dicit. *Eccè ancilla &c.* dedit esse Christo, Sacerdos etiam dat cum dicit. *Hoc est Corpus &c.* Quod nullus Angelus præstare potest. Angelus est servus Christi, Sacerdos est genito. Quomodo ergo debet S. Virginis humilitatem & castitatem imitari? Est Christus Mediator DEI & hominum, Sacerdos hanc personam Christi gerit. Ideò, qui vos tangit,

git, me tangit. Loco Christi sedes in tribunali, arbitrio eius
 stat Christus. *Quodcumque solveritis super terram.* Idcirco
 cum Christus sit Patris Sapientia, dixit DEUS cuidam Osee. 4.
Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne Sacerdotio fungaris mi-
hi. Sine scientia poterit fungi, sed sibi, non DEO. Super
 Christum requiescit Siritus S. Ilai 6. *Spiritus Domini super*
me &c. Et in Sacerdote esse debet. Exod. 19. *Qui accedunt*
ad Dominum sanctificentur ne percutiat eos. Christi corpus tam
 Sanctum est ut dignè in eo DEUS habitet: in Sacerdotis cor-
 pus venit homo DEUS, quanta sanctitas requiritur! S. Vin-
 cent. Conc. de S. Marco. *Qui projiciunt Corpus Christi in latri-*
nam luxurie, Idem de aliis peccatis majus peccatum est quàm si
 projicerent S. Sepulchrum Christi in cloacam. S. Vincent. conc.
 i. in festo Corporis Christi. *Non displicebit Maria Virgini si*
dico veritatem, quia Virgo aperiendo cælum debuit dicere oïto ver-
ba. Ecce ancilla &c. Et Sacerdos solum dicit quinque verba &
 quando dicit ultimum verbum scilicet *meum,* in verbis, Hoc est
 Corpus meum, tunc cælum aperitur, & Christus est in hostia.
 Item Virgo Maria semel aperuit cælum, sed Sacerdos quotidie. Item
 in utero Virginis descendit parvus, &c. passibilis & mortalis, sed
 in hostia ita descendit magnus ut est in cælo, ut fuit in cruce, nec
 passibilis, nec mortalis, sed gloriosus & impassibilis. Hinc si bo-
 nus Sacerdos, dicunt Angeli, *o benedictè majorem gratiam habes*
quàm nos, Si malus, luxuriosus, concubinarius, lusor &c. dicunt
Angeli Christo, Domine vultus ut occidamus istum proditorem? Ec
 tamen tam ad verba mali quàm boni descendit Christus, sicut
 fuit aqua tam per aureum quàm ligneum canalem. Christus
 autem in fine faciet ut Dominus horti, qui postquam est usus cana-
 libus, canale aureum ponit in thesauro, canale ligni putridi ponit
 in ignem ad comburendum in inferno hæc S. Vinc.

Primitias hodie reddis Domino Sacerdos, illæ fuerunt

D 3

gratis-

gratissimæ de omni terræ fructu, reddis de panis & vino. *Obtulit panem & vinum Melchisedech & benedixit Abrahamo, Turnite nobis benedictionem. Mediator & DEI & hominum agere nostram causam apud DEUM; multorum rei sumus, multis egemus. Simeon Luc. 2. Accipiens in manus benedixit Domino, & simul gentibus lumen annuntiavit & gloriam plebi Israël, impetra nobis lumen, ora pro gloria. De Josepho Patriarcha, scribitur, quod habuerit scyphum, de quo augurari solebat, hoc est, bona precari: habes in manu calicem, augurare nobis. *Hic est calix novum testamentum* in sanguine Christi, proinde calix gratiæ, calix redemptionis captivorum, calix salutaris Domini, calix JESU. Augurare nobis hæc omnia, hic calix unionis, quia ex multis uvis conficitur unum vinum, sicut unus panis ex multis granis, impetra nobis pacem cum DEO & inter nos ipsos. Hic calix in pignus amoris nobis relictus, precare ut sicut à Christo amamur, ita illum vicissim amemus. Augurare & hæc & plurima alia & dum illum sumendo dices, *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Etiam pro nobis hoc nomen Sanctum invoca, ut in nomine illius prosternamus inimicos, ut nomen Domini sit nobis turris fortitudinis, nomen ejus sit in nobis benedictum.*

De Eadem Fragmentum.

DEUS cujusvis rei amat offerri sibi primitias. Multò magis gratum erit illi primum Sacrificium. Proinde si ob primitias fructuum benedicebat, ob primam Missam multò magis, maximè cum Sacerdoti magnus aliundè ad DEUM pateat accessus. Ad hoc enim illum DEUS destinavit, ut nobis beneficeret, & beneficeret. Ille enim nos à peccato originali per Baptismum liberat, peccata actualia post Baptismum contrahentia,